





COLLEGII QUARTI  
 In Augustanam Confessionem,  
 quod adhuc est  
**De Ecclesia,**  
*DISPUTATIO VIII.*

Et in specie

De argumentis, quæ contra Pri-  
 matum Römani Pontificis à M. Antonio  
 objiciuntur.

*Proposita.*

In Electorali Academia VVittebergensi,  
*P R Ä S I D E*

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.  
 Seniore, ac Templi Arcis Präposito:

*RESPONDENTE*

NICOLA O Vogelhaupt Torg. Misn.

Elec. Sax. Alumn.

*In Auditorio Collegii Veteris*

Ad diem 19. Junij.



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Typogr. AMBROSI ROTHI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXL

COTTENI GART  
Hortus Conclusus  
sive hortus sive  
**De Horto**

De distinctione et de  
comparatione plantarum  
in Horto Academico Viterbiensi  
anno 1712. M. A. Valesius

AT. 22 HAGIOGRAPHIA

Icones et descriptiones plantarum  
ruris et montium Toscanae, Apennini,

et Apulie, Siciliae, Calabriae, Sardiniae,  
Corsicae, et Insularum Egeeensium.

NICOLAO GALLIUS LONDINII  
MDCCLXV.

Digitized by Google  
Digitized by Google



## Continuatio.

**H**actenus ergo vidimus, quomodo Be-  
canus pro sua sententia, Pontificem  
Romanum caput Ecclesiæ definiente,  
nātām dāsinwās pugnaverit satis infelici-  
ter; restat nūc, ut ipsum dāsinwās  
disputantem, & Marci Antonii de Do-  
minis argumenta refutantem, audiamus, responsio-  
nesq; ipsius examinemus.

### THEsis I.

Sic ergo in Manuali lib. i. cap. 4. §. 78. pergit. *Multa objicit M. Antonius contra primatum Pontificis: que libro tertio de Republica Christiana cap. 5. à me discussa sunt. Præcipua objectio sumpta est ad dictis Pelagii & Gregorii Pontificum, &c.* Hæc est quarta obje-  
ctio in allegato Becano, libro de Republica Ecclesiastica: atque  
sic omittit priores tres: quarum prima est sumta ex principiis Mar-  
ci Antonii, secunda ex doctrina Parisiensium: & tertia ex eo, quod  
in Ecclesia nulla sit jurisdictio. Quod attinet primam, illa per se  
est plena & manifesta. Si enim Christus non instituit Monar-  
chiam Ecclesiasticam. 2. Si omnes Episcopi jure divino sunt  
inter se parés, & 3. si solo jure Ecclesiastico introducta sit inter  
illos aliqua inæqualitas & hierarchia; nullum est visibile caput  
Ecclesiæ: Atqui prius est verum, & hactenus sufficienter demon-  
stratum. Ergo etiam posterius.

II. Ad objectionem hanc respondet Becanus: *Illis principiis*  
*oppono.* 1. *quod Christus fuerit visibile caput Ecclesiæ.* 2. *Quod Petrus*  
*fuerit Vicarius Christi in visibili Ecclesiæ regimine.* 3. *Quod Pontifex*  
*sit successor Petri cum pari potestate.* Et addit: *Ex quibus infero:*

*Pontificem habere primatum Ecclesie, sicut Petrus habuit : Hac ha-  
cenus probata sunt.*

III. Primùm negamus, ista hactenus à Becano esse pro-  
bata. Videantur nostræ responsiones, & fiat judicium, sed si-  
ne præjudicio. Deinde opposita vel potius repetita Becani fun-  
damenta magni momenti non sunt. Primum quidem conce-  
fimus. Sed quæ consequentia, Christus, hisce in terris in carne  
obambulans & in Ecclesia docens, fuit visibile caput Ecclesiæ:  
Ergo abiens ad Patrem constituit. & post se reliquit unum Vica-  
rium caput Ecclesiæ? Demonstravimus, in discursu hoc conse-  
quens cum antecedente nulla planè necessitate cohærere. Po-  
tuisset quidem fieri, si ita à Christo institutum & ordinatum fuis-  
set, quippe à cuius absoluta potestate hæc ordinatio unicè pen-  
det: At verò demonstravimus, hunc, mundum relinquentem,  
non unum, sed duodecim præfecisse suæ Ecclesiæ, & sic non u-  
num, sed duodecim Vicarios (si omnino ita loqui liceat) æqua-  
lis conditionis & potestatis constituisse, & post se reliquisse: Un-  
de per se sequitur, falsum esse, quod à Christo tantum unicus da-  
tus sit pastor Vicarius: Cum omnes Apostolorum successores,  
hoc est, omnes legitimi fidelesque Ecclesiæ Pastores, in munere  
docendi Vicarios Christi pronunciet Paulus, quando 2. Cor. 5.  
v. 20. scribit: *Nomine Christi legatione fungimur.*

IV.. Demonstravimus, simile, quô Christus comparatur  
Rēgibus absentibus, & Pastores Vicarii Pro-Rēgibus, esse dissi-  
mile nimis: Nam ut ū̄sēeḡw̄ w̄c̄tēeḡw̄ faciamus, pro regibus po-  
testas dominii exercendi committitur: Vicariis autem pastori-  
bus non dominium, sed duntaxat ministerium 1. Pet. 5. v 3. Non  
ut dominantes clēris: Non enim nisi mandata Principis exequun-  
tur: quapropter etiam co ipso, quod Vicarii duntaxat Pastores  
sint, absolute regnandi, controversias de fide dirimendi, jurisdi-  
ctionem in Ecclesia arripiendi &c. potestas eis non competit:  
sed duntaxat secundum leges à Principe Pastorū præscriptas.

V. Deinde Christus non ita absens est à sua Ecclesia quem-  
admodum Reges mundani, qui propter infirmitatem non præ-  
sentes, sed per Vicarios dominium & potestatem suam exercere  
cogun-

teguntur. Christus autem, ut jam sedens ad dextram Patris, in medio inimicorum dominatur, Psal. no. v. 2. ita etiam maximè præsens in Ecclesia est, ambulans in medio candelabrorum, Apocal. i. v. 13. Animarum enim curam, dum in his terris visibiliter ageret, suscepit, sed ita, ut eam proorsus non abjecerit, licet ipse non concionetur, nec eo modo miracula edat; Intercedit enim pro nobis Rom. 8. v. 38. apparet nunc in cœlo pro nobis apud faciem Dei, Ebr. 9. v. 24. interpellat pro nobis Ebr. 7. v. 25. adest nobis usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. 20. Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine ipsius, ibi est in medio illorum, Matth. 18. v. 20.

V. Infidiosè ergo à Jesuitis hoc simile profertur, ut tacite indicent, Christum omnem Ecclesiæ curam abjecisse, ac Vicario cuidam commisisse, cum non amplius eō modō Ecclesiam curet, quō, quando visibiliter in his terris agebat. Est autem, ut patet, Elenchus *xvii*: & Christus tali Vicario sive Prorege, quali opus est Regi terreno, non indigeret. Si autem omnino Vicarii Christi sint concedendi, tum non erit unus, & sit solus Episcopus Romanus, sed quivis fideles Episcopi, & quidem ex officio. Costerunt enim, alii Jesuitæ, imò ipse Beccanus largiuntur, in variis locis esse Ecclesiæ Pastores, qui vice Christi animas ad æternam salutem deducant. Hinc verò necessariò infertur: quod diximus. Nam quicunque vice Christi ex officio in his terris animas hominum ad salutem æternam deducunt, illi sunt Vicarii Christi. Quid enim aliud est, Vicarium Christi esse, quam vice Christi ex officio agere? Atqui præter Papam (ex hypothesi) etiam alii Pastores vice Christi hominum animas ad salutem æternam deducunt: Ergo etiam præter Papam alii Pastores sunt Vicarii Christi.

VII. Hoc jam primo Beccani fundamento destructo, per se duo posteriora corruunt. Si enim Christus ejusmodi Vicarium nullum post se reliquit; utique nec Petrus fuit Christi Vicarius Monarchicus: Si non hoc; neque Pontifex in hoc Vicariatu est ejus Successor: cum in eo officio, quod non est, nec unquam fuit, nulla fiat successio.

8. Tan.

**XI.** Tandem nullō modo legitimē infertur, Pontificem Romanum habere primatum Ecclesiae, sicut Petrus illam habuit. Nam  
1. Petrus habuit illum, ut Apostolus: Pontifex non est Apostolus;  
2. Petrus habuit illum non solus, sed communem cum cæteris Apostolis; Pontifex illum solus sibi arrogat. 3. Petri primatus, si aliquis fuit, tantum ordinis fuit: Papa non contentus est ordinis primatu, sed vi ac tyrannde ad se rapit primatum potestatis & jurisdictionis: de qua nihil audivit, nihil scivit, nihil intellexit, proindeque nihil scripsit vel mandavit Petrus: sed contrarium præcepit, nimirum ut non dominantur Apostolorum Successores, Episcopi, Clero, i. Pert. 5. v. 3.

**XII.** Secundam objectionem ex doctrina Parisiensium petitam, nihil curamus. Sive enim illi, (quippe Pontificii) primatum Pontificis Romani defendant, sive non, nobis perinde est: Interim scimus, quod Papæ ejusmodi absolutam potestatem, etiam in Reges & Principes, non tribuant, ut parasitæ Jesuitæ: uti etiam id manifestis documentis alii hactenus demonstrarunt: Sic etiam inde est planum, quod Pontificem Conciliis subjiciant: Jesuitæ contra illum omnibus præferant, nullique nisi à Pontifice Romano confirmato autoritatem tribuant.

**XIII.** Sed pergit Jesuita §. 4. Nihil addam. Hoc solum moneo, te similem esse Luthernis, qui cum viderent, se pridem à Catholicis turpiter defecisse, nec suæ defectionis praetextum reperirent, finxerunt, se nihil discrepare à Patriarcha Constantinopolitano; ut hac ratione persuaderent mundo, doctrinam Lutherorum eandem esse cum doctrina Ecclesie Orientalis. Sed repulsam passi sunt. Patriarchanom agnovit illos pro veris Christianis, propter privatos affectus.

**XIV.** Verum ad hanc calumniam dudum responderunt Theologi Würtenbergici in præfatione, quam præmiserunt Actis & Scriptis Theologorum Wirtenbergensium & Patriarchæ Constantinopolitani, &c. opposita Stanislai Socolovii, Serenissimi Stephani Poloniæ Regis Theologi, calumniis, sic scribentes: Præterea, quod calumniatur Sycophanta Polonus, nos Gracos elegisse, & communis causæ judices constituisse, adeosq; provocasse:

cessus utque, quoniam ab Occidentali defecerimus, in communionem  
Orientalis Ecclesiae, à Patriarcha Constantinopolitano recipere mustur,  
studiosè petiisse: PURA PUTA SUNT POLONI MENDACIA, ab ipso ad prægravandas nostras Ecclesiæ hac calumnia,  
confitit. A sincera scilicet & incorrupta doctrina cœlesti & religione  
veni, ad doctrinas & traditiones humanas, à veritate ad falsitatem  
& segmenta, à luce ad tenebras nos recipiemus. Hoc quid magis fu-  
riosum? Et sciat homo iste, per Dei gratiam non ita accessas, attenua-  
tas aut in angustum adeò redactas nostras copias, nec ita nos consiliis  
mopes aut fluctuari animis, ad defensionem nostræ veræ & sincere do-  
ctrina & religionis, quam profitemur, & Dei beneficio contra portas  
infernales, furores Diabolorum & totius Mundi potentiam propu-  
gnamus, alieno ut nobis opus sit auxilio, aut milite extraneo subsidia-  
rio, quem ex peregrinis advocemus locis, quo muniti, tutsim us adver-  
sus insultus hostiles; nedum ut tanquam victi, prostrati ac fugati, nos  
miseris victis subjiciamus.

XII. Et post pauca: Tantum igitur abest, ut ad Græcos  
transire capierimus, ut ipsos magis ad nos perducere simus conati: Et  
quod olim Dominus Jeremias Prophetæ suo dixit, eumq; consolatus est:  
Convertentur ipsi ad te, & tu non converteris ad eos: id sibi omnes  
Pontificii, sive Orientales, dictum putent: nos nempe nunquam, abje-  
cta, quam ex verbo Dei didicimus, religione, ad ipsos accessuros, etiam  
si fractus illabatur orbis. Si vero æternae animarum suarum saluti  
consultum isti cupiant, necesse est, eos ad nos accedere, nostramq; am-  
plissimam doctrinam, aut in æternum peribunt.

XIII. Nequaquam igitur, (pergunt) hoc Consilio com-  
muni Electorum, Principum, & ordinum Imperii reliquorum confessio,  
quam olim Imperatori Carolo V. invictissimo, nostri exhibuerunt ma-  
iores, ad Græcos est ab uno nostrum, hoc consilio transmissa, ut judi-  
ces constitueremus ipsos, aut ut nos in suam reciperent communionem  
(quod Polonus scribit, & hic repetit Beccanus, sed mendaciter) studio-  
se petiimus. Hoc enim etiam in unius non fuisset potestate hominis,  
sed quia Pontificii nos, nostramq; diffamant, suis clamoribus, calu-  
minisq; Religionem, eamq; suspectam reddere conantur passim, calu-  
mina novitatis excogitata & sparsa, ut hoc nos purgemos crimine, Au-  
gusta-

gustanam Confessionem, tanquam fidei nostrae Compendium, in Orientem mittere voluimus, præsertim cum ad nos inde perscriptum esset, passim Constantinopoli Luthерanos diffamaros esse, quasi nullam religionem curarent, horrendos errores defendenter, & sceleratè atque flagitiosè, absq[ue] ulla Dei timore viverent. Deinde etiam eam obcaecam cum Gracis de Religione conferre voluimus, quia nos nostra Confessionis & fidei non pudet; nec de doctrina dubitamus, noluimus eam sub modo abscondere; sed quia in Graecam linguam antea conversari fuerat, & nacti sumus occasionem, misso ex nostra schola uno, pio & docto Magistro tum, Stephano Gerlachio, Graecæ linguae perito, ut esset à sacris, Cæsareo Majestatis Oratori, Generoso Domino Davidi Ungnad, quo ad plures perveniret Christi odor gratus, noluimus eam negligere, sed omnino mittendam esse, visum est, si quo modo, per gratiam Dei & operationem Spiritus Sancti oculi cœcutientium, hoc modo & medio aperientur, ut erroribus usitatis aliquot seculorum agnitus, eisdem valedicentes, ad veritatis agnitionem pervenirent, deinde etiam agnitam veritatem profitentes, secum alios plures, misceri solet, ad regnum Christi perducerent, &c.

XIV. Ad hæc ergo Becanus respondere debuisset, nec notorijs istius Poloni calumnias mendacissimo ore & calamo repeteret. Sed Jesuita est adversarius; oportet ergo, ut more Jesuitarum agat; hoc est, audacter & turpiter mentiatur, & sine fronte, pudore ac rubore calumnietur.

XV. De tertia objectione, sumta à negatione jurisdictionis in Ecclesia, sæpius quoque egimus. Illam autem ex libr. 4. cap. 7. num. 6. Marci Antonii allegat Becanus, & propriis ipsis verbis proponit, §. 5. hoc modò: *Sciant etiam de jure divino, utram jurisdictionem in Ecclesia nullam esse; sed totam charitate regi, regulis voluntariis ac documentis, suasione, hortatu, increpationibus & obsecrationibus: Pœnas vero alias non habere, nisi ad summum exclusionem hominis ab aliqua fidelium societate: quæ est pœna duntur privativa, non positiva. Quare propter jurisdictiones falsas & nullas Papatum ponere, est maxima levitas.*

XVI. Ubi notetur, Marcum Antonium non simpliciter negare omnem jurisdictionem in Ecclesia, ut sibi imaginari videatur

detur Beccanus, sed veram, id est, propriè dictam, ut aliàs jurisdictio accipitur in Politicis & civilibus rebus, quæ conjuncta est cum Dominio. Aliàs ut ipse, sic nos quoque jurisdictionem Ecclesiasticam, dextrè intellectam, non negamus: nempe quæ complectitur potestatem docendi & sacramenta administrandi, potestatem clavium, jus ordinandi & constituendi oppidatum presbyteros, judicia Ecclesiæ, curam bonorum Ecclesiasticorum, scholarum & pauperum, potestatem ordinandi & introducendi ritus pios & utiles in Ecclesia, ac gubernationem disciplinæ externæ, Matth. 18. v. 17. 28. & cap. 28. v. 19. 20. Marc. 16. v. 15. Joh. 20. v. 23. 1. Timoth. 5. v. 19.

XVII. Verum Dominium aliquod & absoluta potestas, verbo Dei non limitata, vel ad unum aliquem, utpote Pontificem Romanū, alligata, hinc extrinquequam poterit. Nam de prima ministerii Ecclesiastici institutione certum est, quod Christus non unum aliquem hominem, sed undecim instituit, iisque omnibus & singulis non aequalē dūt taxat, sed planè eandem dedit jurisdictionem, Joh. 20. v. 21. *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos.* Chrysost hom. 85 in Joh. *Suum eis* (Intellige undecim Apostolis) *relicturus erat ministerium.* Cyrill. lib. 12. cap. 55. in Johannem: *ordinavit his verbis orbis doctores, quos ut luminaria universum orbem terrarum illuminare jussit, & ad gloriosum Apostolatum Dominus discipulos suos vocavit.* Cyprianus de Simplic. Prałator. *Christus omnibus Apostolis post resurrectionem suam parvem tribuit potestatem, & dicit, sicut misit me Pater, ita ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata remiseritis, remissa sunt ei, & si cui retinueritis, tenebuntur.* Et: *Hoc utiq; erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædicti, honoris & POTESTATIS.*

XIX. Manifestum inde, per illa verba intelligi supremum officium, quod Apostolis datum est. Illud a. cum sit unum, nec sit uni, sed undecim aequaliter datum, & hoc officio omnis Ecclesiastica autoritas & jurisdictione comprehendatur, sequitur, non uni omnem, sed illis undecim unam eandemq; Jurisdictionem à Christo datam esse. Et sanè si Christus uni ex istis omnibus universam jurisdictionem totius Ecclesiæ dedisset, ille potuisset

B

Matthiam

-Matthiam eligere: sed hoc nemo facere potuit. Petunt enim Apostoli unanimiter, ut Christus ostendat, utrum elegerit ex iis duobus, Actor. I. v. 24. Deinde neque is, qui universam jurisdictionem accepisset, non elegisset eum, ut sibi per omnia esset aequalis; sed ut aliquem locum infra se haberet: sed Matthias per omnia aequalis factus est Apostolis: Accepit enim sortem eiusdem ministerii & Apostolatus, quem reliqui habebant, Actor. I. v. 15. Si etiam quis ejusmodi absolutam habuisset jurisdictionem, quam Pontificij fingunt, tum is potuisset etiam Paulum eligere & constituere Apostolum: sed tantam potestatem nemo Apostolorum habuit. Ille enim neque per hominem, neque ab homine constitutus est, Gal. I. v. 1. Neque contulit cum carne & sanguine: hoc est, non didicit ab homine, Gal. I. nec qui videbantur esse aliquid, ei quicquam contulerunt. At cui Apostoli antecessores nihil contulerunt, ei neque jurisdictionem contulerunt.

**XIX.** Ut autem ex his facile intelligitur, jurisdictionem Ecclesiasticam, non esse jurisdictionem propriè dictam, hoc est, conjunctam cum Dominio, sic facile est id pluribus probare. Episcopatus aut est dignitas & potestas, aut est opus & officium: Sed non est dignitas neque potestas, neq; praefectura: ergo tantum est opus & officium sine jurisdictione proprie dicta, hoc est, sine domino. Minor probatur: Nam Επίκομη, apud Græcos & Romanos non significat dignitatem: sed Episcopus significat Inspectorem, id est, eum, qui alicui rei curandæ praefectus est. Sic, qui pani & rei frumentariæ præerant, Græcis dicebantur Επίκοποι: Digestis, de muneribus & honoribus l. Munerum Civilium 18. Cura quoq; emendi frumenti & olei sc. personale munus est. Nam harum spesierum Curatores, quos Επίκοποι Græci appellant, creari moris est. Et: Item Episcopi, qui præsunt pani & ceteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ob quotidianum victum necessarie sunt, personalibus muneribus funguntur. Qui etiam rei pecuariæ ruri præerant, Episcopidicebantur: Quod verò onus erat, non dignitas; Digestis, de muneribus & honoribus: Kalendarii Curatio & questura in aliquacij

vitate:

vitate inter honores non habetur: sed personale munus est. En diser-  
at inter honores & munera personalia distinguitur. Deinde per-  
sonalia sunt, quae animi provisio & corporalis laboris intensione sine  
aliquo gerentis detrimento perpetuantur. ff. codem. Et: Illud te-  
nendum est generaliter, personale quidem munus esse, quod cum corpo-  
ribus, cum labore, ac sollicitudine animi ab vigilantia principaliter exi-  
git. ff. codem l. Munerum civilium I.

XX. Ex quibus satis clare appetet, Inspectionem hanc,  
quæ dicta fuit επισκοπη, apud veteres non fuisse honorem, sed  
onus & laborem. Nulli autem dubitamus, ab hac rei frumen-  
taria vel pecuariæ inspectione, nomen hoc translatum esse ad  
eos, qui in Ecclesia docendi munus sustinent, haud secus, ac  
Pastoris vocem ab opilionibus & subulcis translatum esse, ne-  
gari nequit. Ut enim illi rem frumentariam curabant, ita hi  
pabulum divini verbi subministrant: uti eodem modò meta-  
phora in voce pastoris & pastoratus est manifesta.

XXI. Non quidem ignoramus neque negamus, etiam  
Episcopi vocem de illis muneribus, in quibus dignitas quædam  
est, interdum usurpatam esse, ut apud Ciceronem lib. 4. ad At-  
ticum, Epist. 10. *Vult me Pompejus esse, quem hæc Campania & ora*  
*maritima habeant Episcopum, ad quem delectus & negotii summa*  
*referatur.* Verum enim vero non ab hisce posterioribus, sed à  
prioribus muneribus hanc vocem ad Ecclesiæ ministros tradu-  
ctam esse, res ipsa clamat. Dicuntur namq; in Ecclesia dispen-  
satores mysteriorum, id est, dispensatores Spiritualis alimenti &  
pastores gregis. Et diserta sunt verba Apostoli i. Timoth. 3. v. 1.  
*Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: Ad quæ Prima-*  
*sius: opus dixit, non honorem.* Et Theophilactus: *Si quis cupit*  
*praesse, nihil impedio, opus namq; bonum desiderat, id est, negotium*  
*habere cupit.* Nolim tamen, ut DOMINANDI quispiam cupid-  
itate ducatur. Nam & Moses operandi magis, quam presidendi vo-  
luptate demandatam sibi Iudeos moderandi suscepit provinciam. Epi-  
scopatus enim ab επισκοπεῖν, id est providere & prospicere universis  
dicitur, quos sub ejus cura suscepit.

B 2

XXII. Et

msbl. 25

**XXIL.** Et Augustinus planè eodem modo dictum Paulinum interpretatur, & de hac re loquitur, lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; Exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris.* Quæ verba etiam leguntur in glossa ordinaria. Eodem plane modo Hieronymus: *Bonum opus desiderat. Ad boni operis desiderium enim provocat, non ad honorem.* Et idem ad Oceanum: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, opus, non dignitatem; laborem, non delicias: Opus, per quod humilitate decrescat, non intumescat vastigio.* Quod Hieronymi dictum etiam Glossa Ordinaria allegar. Et Interlinearis: *Et determinat, qui desiderat operari & prodeesse multis, non dominari.* Et idem Hieronymus lib. 1. in Johan. *Episcopus & Presbyter & Diaconus non sunt meritorum mina, sed officiorum.* Nec dicit: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum, sed bonum opus desiderat.* Et Lyra: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quasi dicat, non est desiderandus propter officii dignitatem, sed propter annexum laborem, qui est ordinatus ad gloriam Dei & proximi salutem.*

**XXIII.** Et Chrysostomus de Sacerdot. lib. 5. Id igitur (loquitur de administratione Episcopatus) quidnam est? Nempe labor ingens, concionibus disputationibusq; publicè ad populum habendis, imperius. Et Homil. II. ad Ephes. Non dominamur fidei vestre, Charissimi, neq; imperii aut dominii jure ista precipimus. Sermonis doctrina nobis commendata est, non potestatis, nec potestatis auctoritas: Ordinem tenemus consulentium & adhortantium. Qui consilens sententiam suam dicit, auditorem non cogit, sed in illius potestate faciendorum optionem liberum relinquit, in hoc tamum culpabilis, si non, quæ decent, & oportet, dixerit.

**XXIV.** Patet ergo ex his, Episcopatum esse opus & laborem. Si autem hoc tum Episcopus est laborator & operarius. Et hoc docet Scriptura, Matth. 9 v. 37. 38. *Messis multa est, operarii rursum pauci: rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messim suam.* Matth. 10. v. 10. *Dignus est operarius cibo suo & mercede sua,* i. Timoth. 5 v. 18, 2. Timoth. 2. v. 16. *Siude te ipsum probatum fissere Deo, operarium, qui non erubescat..*

25. Idem

XXV. Idem quoque docent Patres. Prosper. lib. 2. de vita contemplativa cap. 2. *Quos non inflamat honor acceptus, sed exercet labor impositus.* Qui non excellentiam suam cogitanti pro- uelli sed sarcinam, nec gloriantur de officii dignitate, sed sudant con- statu sub onere. Tales divina scriptura speculatores appellat, qui spe- uulantur agit omnium, & qualiter unusquisque cum suis in domo, qualiter in civitate cum civibus vivat, intentione religiose curiositatis explanat, quos bonos probaverint, honorando confirmant, quos depre- benderunt vitiosos, arguentes emendant.. Hinc istae appellationes & salutationes: συνέτερω, συνέργω, αυμύνη, collaboranti, com- ministri &c salutem.

XXVI. Quare juxta Dei verbum & Ecclesiae Dei consen- sum, Episcopatus est labor & opus. Et Episcopus laborator & operarius. Si autem quæras, quale opus, qualisve labor: Item: qualis laborator vel operarius Episcopus, id ex dictis, simulque ex commissione sive mandato, quô Deus Apostolos & reliquos Ec- clesiae ministros instruxit, facilè intelligitur: Mandatum vero sive commissio apud Matthæum cap. 28. v. 19. legitur. hujusmo- di: *Profecti, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecumq[ue] manda- vi vobis.* Marc. 16. v. 15. *Profecti in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature,* Joh. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos:* *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus ma- nifestum est, id esse Apostolorum officium & jurisdictionem, h.e. labore & opus, quod antea descripsimus, nempe prædicare Evangelium, administrare Sacra menta, & Ecclesiam honestâ disciplinâ gubernare.

XXVII. Et si quis Acta Apostolorum percurret, vide- bit, Apostolos hæc omnia fideliter præstítisse, & nihil aliud in Ecclesia attentasse; idemque fecisse Episcopos immediate ab Apostolis constitutos, Timotheum, Titum, & alios, Acto I. v. 8. cap. 8. v. 4. 5. cap. 9. v. 15. & 20. cap. 10. v. 34. & 47. cap. 20. v. 18. & 28. Rom. 10. v. 8; 1. Cor. 4. v. 1; Gal. 1. v. 23. 2. Tim. 1. v. 9. cap. 4. v. 2. Pet. 5. v. 1. Sic subsequentes Episcopos nihil aliud fecisse, testatur

B. 39. v. 20. 2010

ac dg.

ac docet historia Ecclesiastica, & Justinus Apol. 2. pro Christia-  
nis.

XXIX. Quare certum est & sufficienter confirmatum, E-  
piscopos in Ecclesia nullum habere dominium, vel propriè &  
strictè dictam jurisdictionem: sed tantum dignitatem & pote-  
statem ordinis. Quare qui ordine superior est, potestatem qui-  
dem habet inferiorem monendi, immo eidem juxta verbum Dei  
aliquid præcipiendi; sed hac lege, ut ne ex herili vel regio domi-  
nio id faciat; id namque disertis verbis à Petro & Paulo prohibe-  
tur, 1. Pet. 5. v. 3. 2. Cor. 3. v. 8. neque sibi soli hanc potestatem arro-  
get: cum inferior quoque similiter eandem habeat monendi &  
ex verbo Dei arguendi superiorem, sub eadem lege: sicque uter-  
quenihil hic faciat, ut Dominus, sed ut Dei minister.

XXX. Pastor itaque Pastorem, si sit senior, ut Patrem, si  
junior, ut fratrem, monere potest, 1. Tim. 5. v. 1. eidemque ali-  
quid juxta verbum Dei præcipere; interim tamen dominandi &  
simpliciter aliquid præcipiendi potestatem non habet. Sic pres-  
byteri & pastores Ecclesiæ juxta verbum Dei aliquid præcipere  
possunt in Ecclesia & auditoribus, nec tamen propterea sunt  
Domini Ecclesiæ; sed faciunt hoc ut ministri verbi. Quod ap-  
paret ex allegato loco Petri: quo dicit, *Presbyteros, qui inter vos*  
*sunt, precor ego unum presbyter ac testis afflictionum Christi atq; idem*  
*gloriae patet faciendo consors.* Non igitur ut Dominus præcipit, vel  
mandat: sed suasiones, reprehensiones & consilia rectius dicun-  
tur.

XXX. Audiamus nunc argumenta Becani c. 5. §. 7. Ubi sic  
pergit: *Accedit duplex ratio, quam negare non potes.* Una est: ubiung  
est potestas condendi leges, quibus subditi obligantur, ibi est jurisdictionis.  
*At in Ecclesia est potestas condendi leges Ecclesiasticas, quibus Christiani*  
*obligantur:* Ergo in Ecclesia est jurisdictionis. Major nota est, quia du-  
plex solet distingui potestas: Una Ordinis: altera jurisdictionis. At  
potestas condendi leges, non est potestas ordinis, sed jurisdictionis. Mi-  
nor probatur dupliciter. Primo, ex supra dictis in quinto privile-  
gio, ubi ostendi, Prelatos Ecclesiæ habere potestatem condendi leges Ec-  
clesiasticas, sicut Princeps secularis habet potestatem condendi leges  
Politicas. Deinde ex tua confessione. Nam lib. 2. cap. 10. fateru-  
cæliba-

calitatum Clericorum, jure Ecclesiastico, vel lege Ecclesiastica, vel  
decreto Ecclesiastico, introductum esse. His enim vocabulis ibi  
uteris.

XXXI. Respondemus ad minorem negando, quod illa  
in quinto privilegio probata sit. Videantur nostræ refutationes  
in disputatione præcedente. Scimus quidem, quod Pontifices  
Romani sibi hanc potestatem adscribant, & quod Leo Papa di-  
cat: *Si quis decretalia constitutæ Romane Ecclesiæ neglexerit, veniam  
suum novit deinceps denegari.* Quis verò hac sententia magis adstrin-  
gitur, quam Romanus? Sed nemo curat illam. Papa Romanus  
vetat, ne quisquam propter pecuniam ordinet. At Papæ moder-  
ni omnia sacra & prophana vendunt pecunia. Papa vetat, ne  
quisquam Episcoporum vocetur Universalis, dist: 99. cap. i. At  
moderni Papæ solo hoc titulo salutari volunt. Si ergo illis ve-  
nia deneganda est, qui Romanorum Pontificum Canonem vio-  
lant, tum Papæ Romani nullam unquam veniam consequen-  
tur.

XXXII. Deinde cum potestatem istam sibi arrogaret  
Pontifex Romanus, saepius cum ignominia est repulsus. Decre-  
vit enim ut esset & haberetur caput totius Ecclesiæ. Contra ve-  
tendum universa Ecclesia decrevit: nullum Episcopum vocandum es-  
se primum Sacerdotem aut Sacerdotum Principem. Gelasius  
statuit; Papam à nemine judicandum esse: sed multi Papæ ab eo-  
tempore in Ecclesia sunt judicati. Victor Papa decrevit, ut O-  
rientales eodem tempore cum Occidentalibus celebrarent Pa-  
scha: sed Orientales pristinum ritum constanter retinuerunt &  
dixerunt, se non turbari illis, quæ terrendi gratiâ objiciuntur. Victo-  
remque Ecclesiarum turbatorem esse testati sunt Pôlicrates &  
Irenæus apud Eusebium lib. 5. c. 22. 23. 24. Julius decrevit, ut nullus  
Sacerdos seculari jurisdictione subjectus esset: At verò à tempore isto mul-  
ti Principes etiam pii judicarunt Sacerdotes. Papa decrevit, ut  
omnes ad se provocent, & ut Africani istam legem reciperent, ursit  
& jussit, sed ab iis cum ignominia repulsus est. Gregorius  
Magnus decrevit, ut Angli Romanos ritus reciperent: sed responde-  
runt, se nihil horum facturos, neque illum pro Archiepiscopo  
agni-

agnituros, Galfridus lib. 8. cap. 4. Ex quibus luce clarus est, Papam nunquam habuisse potestatem ferendi leges per universam Ecclesiam.

XXXIII. Neque etiam jure habere debet. Nam leges, quae universam Ecclesiam obligant, sunt de cultu Dei, & animas obligant; sed nullus hominum, & sic neque Papa, potest leges de cultu Dei ferre. Nam doctrinam de suo cultu Deus perfecte tradidit & nobis revelavit in verbo scripto Evangelii, in quo continetur omnis sapientia, quam perfectus redditur omnis homo Dei, Coloss. 1. v. 28. Et cap. 2. v. 3. scribit: *In Christo esse omnes thesauros sapientiae & scientiae reconditos.* Et addit, se hoc dicere, ne quis fidelibus imponat probabilitate sermonis, neve illos de praedetur per Philosophiam & inanem deceptionem, juxta traditionem hominum, & non secundum Christum. Adde, quod animas soli Deo sint subjectae, proindeque in illas nihil juris habeat Papa. Sic ergo argumentor: In quae nihil juris habet Papa, illis non potest leges imponere: At in animas nihil juris habet Papa: Ergo eis non potest leges imponere. Minor probatur. Is enim solus sibi & juri suo subjectas & obligatas habet animas, qui unus est Legislator, animasque potest servare & perdere. Is vero non est Papa, sed solus Deus, Jacob. 4. v. 11. *Unus est legislator, qui potest servare & perdere:* Esaiæ 33. v. 22. *Jehova est legislator noster, ipse servabit nos.* Atque sic manifestum est, Papam non posse leges ferre, quae unum hominem obstringant, nedum omnium hominum animas. Privatas opiniones Marci Antonii defendere non tenemur.

XXXIV. Ad secundum argumentum & loca allegata ex Epistolis Paulinis in precedente disputatione thesi 14. sufficienter responsum est. Non est, cur actum agamus: sed concludimus, paternam quidem castigationem Ecclesiat non esse denegandam: Jurisdictionem vero, cum dominio junctam, nullo modo concedendam: qui ergo illam affectat, sibiique soli arrogat, ut Pontifex Romanus, istum oportere insigniter impudentem, neque Pastorem, sed Tyrannum & impostorem esse.

35. Cz.

XXXV. Cœterum objectionem Marci Antonij, quam lib. 3. de Republ. Eccles. c. 5. §. II. Bécanus quartam facit, in Manuali §. 76. primo loco ponit, & primariam esse scribit his verbis: *Precipua objec<sup>tio</sup> summa est ex dictis Pelagi & Gregorij Pontificum, qui acerrime oppugnarunt titulum Oecumenici seu Universalis Patriarchæ, quo utebatur Iohannes Constantinopolitanus Episcopus, & consequenter oppugnarunt primatum Ecclesiæ. Verba Pelagi sunt haec: Nullus Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo unquam utatur, quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum uomen cœteris derogatur.* Quæ verba referuntur ad Gratianum dist. 29. cap. Nullus. Verba Gregorij sunt haec (lib. 4. Epist. 32. ad Mauritium) *Quis est iste, qui contra statuta Evangelica, contra canonum decreta, novum sibi usurpare nomen presunxit? Et infra: sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemie, in quo omniam sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.* Et lib. 6. Epist. 20. Ego fiderem dico, quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua AntiChristum precurrit, quia superbiendo si ceteria preponit.

XXXVI. Argumentum hoc, quippe ab autoritate humana deductum, nobis primatum non est, ut patet ex illis, que hactenus contra primatum Papæ disputavimus: adfertur duntaxat, demonstrandæ historiæ causâ, evinciturq; veteribus primatum super universam Ecclesiam exosum fuisse. Sicenim vult argumentari Marcus Antonius: Qui acerrime oppugnarunt titulum Oecumenici seu universalis Patriarchæ, quo utebatur Iohannes Constantinopolitanus Episcopus, illi quoque oppugnarunt & damnarunt primatum Ecclesiæ. Atqui Pelagius & Gregorius Pontifices ipsi acerrime oppugnarunt titulum Oecumenici seu universalis Patriarchæ, &c. Ergo Pelagius & Gregorius Pontifices ipsi acerrime oppugnarunt & damnarunt primatum in Ecclesia. Minor probatur sententia & verbis Pelagi: quæ in hunc Elenchum resolvi possunt. Qui se unum vocat Patriarchum universalem; is Pelagi judicio, tam prophano vocabulo ac

C

titulo

titulo utitur, quo nullus antiquitus Patriarcharum est usus,  
ideoque cœteris Patriarcharum nomen derogat: Atqui ut o-  
lim Johannes Constantinopolitanus, sic hodie Romanus E-  
piscopus se vocat Patriarcham sive Episcopum universalem:  
Ergo ut olim Johannes Constantinopolitanus, sic hodie Ro-  
manus Episcopus Pelagij judicio tam prophano vocabulo ac  
titulo utitur, quo nemo ex veteribus usus est, proindeque  
cœteris Patriarcharum & Episcoporum nomen derogat.

XXXVII. Deinde verbis Gregorij, ex quibus talis con-  
ficitur Syllogismus: Quicunque se universalem Episcopum  
vocat vel vocari desiderat; is, judicio Gregorij contra statu-  
ta Evangelica, contraque canonum decreta, novum sibi usur-  
pare nomen præsumendo, & sic superbiendo se cœteris pre-  
ponit, in elatione sua AntiChristum præcurrit, nomenque il-  
lud blasphemiarum, in quo omnium sacerdotum honor adimi-  
tur, sibi dementer arrogat: Atqui Johannes Constantinopo-  
litanus olim, hodieque Romanus Episcopus se universalem  
Episcopum vocat & vocari desiderat: Ergo Johannes olim  
Constantinopolitanus, & hodie Romanus Episcopus, judicio  
Gregorij, contra statuta Evangelica, contraque canonum de-  
creta, novum sibi usurpare nomen præsumendo & sic sup-  
biendo se cœteris præponit, &c.

XXXVIII. Respondet Beccanus de Republ. Ecclesiastici  
§. 14. in Manuali §. 77. Marcus Antonius non intelligit citatos  
Pares; Reprehendunt illi Johannem Constantinopolitanum Episco-  
pum, quod titulum universalis Patriarcha vel Sacerdotis fastuose si-  
bi arrogaverit. Ut autem constet, quo sensu id fecerit, notandum  
est, bac duo distingui, que M. Antonius confundit. Primo, dici  
Universalem Episcopum in Ecclesia. Secundo, dici Episcopum Uni-  
versalis Ecclesia. Prior titulus reprehenditur in Johanne; pos-  
terior Romano Pontifici conceditur. Et vitati Patres priorem asse-  
xunt esse prophanum, blasphemum & AntiChristianum; posteriorum  
non item. Est autem hoc discrimen inter utrumque titulum. Qui  
dicit, se esse universalem Episcopum vel Sacerdotem, insinuat se so-  
lum esse Episcopum, & alios omnibus derogat nomen & honorem.  
Epi.

Episcopalem. Et hoc fecisse Joannem, restatur Gregorius, partim s  
locis citatis, partim lib. 4. Epist. 34. cum ait: Tristè valde est, ut  
patienter feratur, quatenus despiciat omnibus, prædictus frater &  
coëpiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus. Et Epist. 36. ad  
Eulogium: Si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum  
nomen cæteris derogatur. Et lib. 7. Epist. 69. ad Eusebium: Nam si  
unus, ut paret, universalis est, restat, ut vos Episcopi non sitis. Qui  
autem dicit, se esse Episcopum vel Pastorem Universalis Ecclesie, non  
significat, se solum esse Episcopum vel Pastorem, sed se habere genera-  
lem curam & gubernationem Ecclesiarum particularium. Et hoc  
sensu Pontifex solet vocari Episcopus & Pastor Universalis Ecclesie.  
Quod etiam fatetur Gregorius. Nam lib. 6. Epist. 32. ait: Petro  
omnium Apostolorum Principi totius Ecclesie cura commissa est.  
Iam. Cura ei totius Ecclesie & principatus committitur, & tamen  
Universalis Apostolus non vocatur.

XXXIX. Respondemus; intellexit omnino Marcus  
Antonius citatos Patres: Certum contra est, Bécanum aut  
illos non intellexisse, aut fraudulentum Sophistam agere.  
Concedimus quidem, quod inter distinctos illos loquendi  
modos: dici Universalem Episcopum in Ecclesia; & dici Episcopum  
Universalis Ecclesie, sit aliquod discriminē. Verum illud in eo,  
quod Jesuita fingit, consistere, falsissimum est. Quare note-  
tur, quod sit ambiguitas in voce Universalis, quæ Græcè reddi  
potest vel per καθολικὸν: vel per ὁμιγενικὸν. Johannes  
Constantinopolitanus non Latinè, sed Græcè loquutus est:  
Unde etiam se non Universalem vocavit voce Latinâ: neque  
Græcâ: Catholicum Episcopum: Quippe quod nequaquam re-  
prehendisset Gregorius: cum, ut Ecclesia est Catholica, sic  
quilibet Episcopus debeat esse Catholicus, & Ecclesiæ Ca-  
tholice Episcopus: Sed Episcopum Oecumenicum se nominavit:  
atque hunc titulum & nomen prophanum, blasphemum &  
AntiChristianum in Johanne reprehenderunt Patres.

XL. Si ergo quæras discriminē inter Universalem Epi-  
scopum in Ecclesia, & inter Episcopum Ecclesiæ Universalis; hoc da-  
mus verum & certum. Quod Universalis Episcopus signifi-

*et Oecumenicum Patriarcham, ut ipse Gregorius testatur, hoc est, omnium Antistitum Patriarcham, ut Sabellicus exposuit, & sic Ecclesiæ caput & Monarcham: Alter vero terminus, *Episcopus Ecclesiæ Universalis* significet, *Episcopum Ecclesiæ Catholicae*, qui unus est ex Episcopis Ecclesiæ Catholicæ; proindeque qui præstet uni Ecclesiæ Catholicæ, id est, non hereticae. Non ergo unus tantum, sed tot sunt Ecclesiæ Catholicæ Episcopi, quot Ecclesiæ ministri & pastores.*

XLI. Quare si Pontifex Romanus nihil est amplius, quam *Catholica Ecclesiæ Episcopus*; tum nullam omnino præminentiam habet præ reliquis pastoribus: atque sic neque caput est Ecclesiæ, neque summus sacerdos, neque Monarcha, neque Oecumenicus Episcopus. Atque hoc Catholicæ non concedant: quin potius omnes illos titulos Pontifici Romano tribuunt: Ergo necesse est, ut ex hypothesi Pontificiorum Papa Romanus sit *Episcopus Oecumenicus*, nec tantum contentus generali isto titulo *Ecclesiæ Catholicæ Episcopi*. Unde sic argumentamur: Qui sibi tribuit titulum Oecumenici Episcopi, illum Patres asserunt prophanum, blasphemum, AntiChristianum: Atqui Pontifex Romanus sibi tribuit titulum Oecumenici Episcopi: Ergo Pontifex Romanus est prophanus, blasphemus, AntiChristianus.

XLII. Major est certa. Nam, ut demonstratum, Patres Johannem Constantinopolitanum reprehenderunt, quod se vocaverit *Episcopum Universalem* in ea significatione, quam habet Græcum Οἰκουμενικὸν. Minorem non negant Papistæ & Jesuitæ. Quippe unum timent *Episcopum Romanum*, non tantum suæ Ecclesiæ, id est, ejus, quæ est intra muros Roma, curam habere demandatam, ut reliquos Pastores suæ quemque: sed præterea omnium omnino, quotquot aut sunt, aut esse possunt militantis Ecclesiæ: in eosque summam obtinerem nullisque legibus coercitam autoritatem potestatemque, ut Christi Vicarium, ac proinde etiam disertè appellant & caput, & sponsum Ecclesiæ, & universalem Episcopum & Oecumenicum Pontificem. Atque hac ratione Monarcham,

in.

in Ecclesia constituant: proindeque falsum est Beccani com-  
mentum, & contra plerosque omnes Romanæ Ecclesiæ Do-  
ctores, Episcopum Romanum tantum dici *Episcopum Universa-*  
*lis Ecclesie*, & non etiam *Universalem sive Oecumenicum Episco-*  
*pum*.

**XLIII.** Et ejusmodi titulis & Encomiis Romanum  
Præfulem ornantes & honorantes cœteri Pontificii scripto-  
res non distinguunt eo modo, ut Beccanus, inter universalis  
Ecclesiæ Episcopum & universalem Episcopum, sed potius  
Pontificem Universalem Episcopum afferentes, distinguunt,  
inter Universalem Episcopum, qui solus sit & Unicus Episcopus, sia-  
ut nulli præter ipsum Episcopi nomine vocari similiter possint, & po-  
tius Universalis istius ac Unius Episcopi, veluti ministri & Vicarij  
asserit possint ac debeant: *Et deinde qui Universalis quidem dici-*  
*tur, ita tamen, ut non sit unus & solus, sed saltem præcipuus & sum-*  
*mus Episcopus inter alios inferiores, habeatque curam totius Eccle-*  
*sie, sed generalem, ita ut non excludat particulares Episcopos.* Hac  
distinctione ita præsupposita, se porrò explicant, Priore sensu  
Gregorium intelligendum esse: atque sic rectè nomen Universalis sive  
Oecumenici Episcopi exsecurari, ut vanum, sacrilegum & sceleratum  
alteroverò nunquam putasse damnandum. Illa igitur Iohannem  
Constantinopolitanum sese voluisse esse Universalem: at isto tantum  
Episcopum Romanum sibi sumere.

**XLIV.** Sed ut & his respondeamus, demonstrabimus  
duo. 1. Episcopum Romanum sese dicere Episcopum Occu-  
menicum priore sensu. 2. Gregorium id nominis exsecurari  
posteriore sensu, sicque multò magis primo: Primum quidem.  
Nam etiam si Episcopus Romanus nondum eò devene-  
rit insanie, ut omnibus Episcopis nomen adimeret, tanquam  
sibi eximium, tamen, quod proximum est, reliquos omnes  
Episcopos saltem proministris & vicariis suis habet: qua re  
tollit revera, ejus nominis, quod eius dicitis causa concedit, rem  
ipsam & substantiam: cum propriè Episcopus sit summus sa-  
cerdos. Probatur: quia in Annalibus à Pithæo editis ad an-  
num octingentesimum sexagesimum tertium, Ecclesia Galli-

cana querebatur à Nicolao Papa, Episcopos appellatos esse  
suos cléricos: Sciesque, nos non tuos esse, ut te iactas & extollis, clé-  
ricos, quos ut fratres & coëpiscopos nos agnoscere, si elatio permitte-  
ret, debueras. Concilium Cardinalium delectorum à Paulo  
tertio, totitem literis Episcopos vocat ministros Papæ: San-  
ctitas vestra ita gerit curam Ecclesie Christi, ut ministros plurimos  
habeat, per quos hanc curam exerceat. Hi autem sunt Clerici omnes,  
quibus mandatus est cultus Dei, presbyteri præsertim, & maximè cu-  
rati, & præ omnibus Episcopi. Et rursus post notatos abusus  
circa beneficia: His castigatis, inquit, quæ pertinent ad confir-  
mationes tibi ministros. Et iterum: Post bæc, quæ ad instituendos  
ministros tuos in hac universalis Ecclesiæ cura, & in ejus deinde ad-  
ministracione spectare videntur. Quæ cum ita siut, quis non videt,  
five nomines Papam Universalem Episcopum in Ecclesiæ si-  
eve Episcopum Ecclesiæ Universalis, ipsum feriri Gregoriano  
fulmine.

¶ XLV. Deinde alterum, nempe Gregorium uti termi-  
no illo Universalis Episcopi in Ecclesia, pro illo, qui Becano est,  
*Episcopus Ecclesiæ Universalis*, & sic in secundo sensu, probamus.  
1. Quod Johannes Constantinopolitanus sibi non arrogavit,  
id Gregorius non reprehendit: Atqui ut solus esset Episco-  
pus in toto orbe, sibi Johannes Constantinopolitanus non  
arrogavit: Ergo, neque id in ipso reprehendit. Major est cer-  
ta. Minor probatur. Nam quicunque ejus autoritatem agno-  
verunt, & in dictione ejus fuerunt, suos semper titulos, tum Epi-  
scoporum, tum Patriarcharum retinuerunt, atque adeò non  
aliter salutabantur ab ipso Constantinopolitano: ut legere est  
in dispositione Leonis Sapientis. Uti & in Corpore Juris  
Græco invenitur: Ιωάννης ἐλέω θεῷ Αρχιεπίσκοπος Κωνστα-  
ντινουπόλεως, ιερὰς Ράμης, ιερὴ Οἰκουμενικὸς, Πατερίας, τῷ  
ἐν κυρίῳ αὐγαπητῷ ἀδελφῷ, ιερὴ συλλειτουργῷ τῷ εροτάτῳ  
μητροπολίτῃ Δυρραχίῳ, ιερὸύ περίτιμῳ ιερῷ τῷ Θεοφίλεσσάπῃ ἐπι-  
σκόπῳ Διαβόλεωσ: Johannes miseratione Dei, Archiepiscopus  
**Constantinopolis, Novæ Romæ & Universalis, Patriarche dilecto in**  
**Domino fratri, & comministro, sanctissimo & honorabilissimo Dyr-**  
racibij

ratibꝫ metropolitano: Itemque religiosissimo Episcopo Deabolis.  
En nominat quidem se Universalem: & tamen non tantum ad  
Metropolitanum & Episcopum scribit: sed etiam Metropolitanum  
tamen appellat ov̄ Mēstgyōv.

XLVI. Inveniuntur quoque acta quarundam Synodorum, quibus præfuit Constantinopolitanus, ita Universalis  
titulo designatus, ut alij suis Patriarcharum, Metropolitanorum, Episcoporum, non fraudentur. Sic in Epistola Patriarcharum ad Tarasium Constantinopolitanum: *Sanctissimo & beatissimo Domine Tarasio Archiepiscopo Constantinopolitano & Universali Patriarchae, orientis summi sacerdotes & alij sacerdotes in Domino salutem: Imperatores quoque ipsi in corpore juris Graeco-Romani non raro scribunt ad Episcopos Constantinopolitanos, eodem Universalis nomine compellatos: simulque multa definientes de Episcoporum electione & iure.*

XLVII. Inquis, licet Beccanus concedat, Pontificem Romanum vocari Universalem Episcopum, probare tamen ipsum, non ita dicieo sensu, quo Gregorius oppugnaverat, quod nullus præter eum Episcopus esset. Sed responso est expedita; illa à Gregorio non proferri tanquam à Johanne asserta, sed tanquam incommoda, illud nomen consequentia. Non ut dicat sic, sive eo sensu, sese illum Oecumenicum Episcopum appellare, quasi nullum vellet præter se Episcopum esse: sed potius contrarium: quia nolit se solum esse Episcopum, ideo non esse id nomen assumendum. Quare argumentum est utrinque concedendum, quo demonstratur quæstio. Quis verò nescit non probari à respondente omnia incommoda, quibus thesis oppugnatur? Cyprianus negantibus ab hereticis baptizatos esse rebaptizandos, objiciebat, consequens, ut Ecclesiam faterentur esse apud hereticos: quod interim nemo Catholicorum admittebat. Gregorius autem recte ex vi nominis Universalis argumentabatur. Quia enim munus Episci ex institutione sua personale est, nemo se in rei veritate Universalem quit dicere Episcopum,  
qui

qui non habeat ipse per se singularum Ecclesiarum curam, eam, quam Episcopum habere oportet. Id verò Johannes non attendebat, tantum volebat ad eum gradum eminentis ascendere, in quo nullum haberet collegam. Sicuti vero necessum non fuit, ut Lucifer, cum se præferri voluit omnibus Angelis, reliquos Angelos omnes, Angelorum & nominis & gradu privaret; sic nec Johannem oportuit, ut se universalem diceret, nullum sub se Episcopum relinquere.

XLVIII. Quod porro subjicit Beccanus, alios quoque Pontifices, qui Gregorium præcesserunt, se vocasse Universalis Ecclesie Episcopos; respondemus, profiteri quidem Gregorium id nominis suis prædecessoribus oblatum, sed tamen non existimasse aliquo sensu convenire Romano. Probamus 1. quia restatur, non acceptum fuisse, 2. quia iisdem improbat argumentis, quibus Johannem reprehendit. Sic enim in Epistola 80. lib. 4. Sicut enim veneranda vestra sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici sedis Apostolice, cui D 60 disponente servio, hoc Universalitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti consuevit, quia videlicet, si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Et lib. 7. Epist. 30. Indictionis 1. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque postea subsequentibus Patribus, hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit: sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligenter omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.

XLIX. Etsi Gregorius hic sibi non nihil indulxit præter veritatem: cum id nominis à Chalcedonensi Synodo oblatum fuisse Romano Episcopo, nullo decreto vel probato scripto confirmari possit, ut Baronius ad annum quadringentesimum quinquagesimum primum librarij fraudem suspicari cogatur: nihilominus fingens hoc vocabulum Papæ Romano oblatum esse, istud prophanum appellat, & improbatum ob singularitatem & reliquis honorem derogatum: planè eodem modo egit contra Johannem: ideoque non condidit termino.

minorum horum vel diversum sensum, vel ejusmodi distinctionem, qualem fingit Beccanus. Quandoquidem reprehendit & improbat Gregorius in Constantinopolitano, quod sibi imaginabatur, generalem curam & gubernationem totius Ecclesiae, licet alij Episcopi haberent specialem curam Ecclesiarum particularium, sibi competere: Si ergo haec arrogantia significatur hoc termino ac titulo *universalis Ecclesia Episcopus*: æquè illum improbat, atque alterum, *Universalis Episcopus in Ecclesia*. Non enim ad nomen, sed ad significatum nominis respexit, idque propriè reprehendit.

L. Verum enim vero *Ecclesia universalis*, hoc est, *Catholicæ Episcopus* non est idem, quod *Episcopus Oecumenicus*, sive, quod *Episcopus*, qui generalem curam & gubernationem totius Ecclesie sibi arrogat. Tum enim tantum unius hic titulus tribueretur, nempe capiti Ecclesiae, quod fingunt Pontificij. Hoc verò falso est. Non enim solus Romanus ita appellatur, sed omnes quoque cœteri orthodoxi Episcopi. In gestis collationis Carthaginim habitæ Honorij Cæsaris iussu, subinde haec leguntur: *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ* : - *Fortunatianus Ecclesiæ Catholicæ Episcopus* : *Augustinus Episcopus Ecclesiæ Catholicæ*. Socomenus libro octavo capite primo dixit, *Sisinnium Novatianorum Episcopum*, *Ecclesiæ Catholicæ Episcopis gratum fuisse*. Epiphanius hæresi 61. de Photino hæresiarcha, ἐπίσκοπος γέγονε τῆς αἰγαῖς παθολικῆς σκηλησίας: *Factus est Episcopus sanctæ universalis Ecclesiæ*. Atque hoc quoque modo *Universales Episcopi* dici potuerunt, h. e. *Catholicæ*: Ut in *Synodi Ephesina actis* Celestinus ad Nestorium scribens, vocat Atticum, Constantinopolitanum ἐπίσκοπον Καθολικόν. Et ad Constantinopolitanos meminit τῶν ἱερέων Καθολικῶν.

LI. Concedimus ergo libenter, quod hoc sensu *Episcopus Romanus* dictus fuerit *Episcopus Universalis Ecclesiæ*: vel etiam *universalis*, sive *Catholicus Episcopus*: Inde autem non infertur, quod habuerit *universalem inspectiōnem*: alias etiam cœteri sic nominati illam habuissent. Hoc autem est absurdum: Ergo denominatio haec non arguit cu-

D. ram

ram & gubernationem omnium Ecclesiarum, sed certe aliquius & particularis Ecclesiæ. Hinc termino hoc utentes Episcopi Romani plerunque addebat nomen Urbis, ut, Damasus ad Stephanum Archiepiscopum sic scribit: *Damasus servus servorum Dei, atque per gratiam ejus Episcopus sanctæ Catholicae Ecclesiæ Urbis Romæ.* Eodem planè modō, ut in gestis collationis Carthaginensis, *Aurelius Episcopus Ecclesiæ Catholicae Carthaginensis.* Sozomenus lib. 2. cap. 24. Callinicum appellitat Episcopum Ecclesiæ Catholicae, quæ est in Pelusio. Et apud Socratem lib. 1. cap. 6. Synodus Nicena nominat *Episcopos Catholicae & Apostolicæ Ecclesiæ*, qui sub Alexandro erant. Sic Epiphanius in Meletianis dicit eos sic vocatos: *Διπλούς λητίγε πνεύς Επισκόπης ἐν τῇ Τιβεριᾳδὶ γενομένης τῆς καθολικῆς Εκκλησίας: A Meletio quodam facto in Tiberiade Episcopo universalis Ecclesiæ.* Certum ergo est, & manifestè demonstratum, sic sine discrimine omnes dici posse Ecclesiæ Catholicae sive Universalis Episcopos, qui unialicui Ecclesiæ, quæ non sit hæretica, præsunt: Ergo hoc titulo, uti etiam in præcedentibus conclusum, nulla prærogativa tribuitur Papæ Romano: sed potius: quod se Oecumenicum & hoc modo universalem Episcopum vocitet. Unde etiam negamus, Petro curam demandari totius Ecclesiæ, & Petrum esse Oecumenicum, Universalim, idem esse. Nam ipse Gregorius verbis allegatis egregie discernit alterum ab altero. Etenim si idem putaret utrumque quomodo alterum respueret.

LII. Pergit Becanus in manuali § 77. *Hoc apparet Pelagium & Gregorium frustra à M. Antonio adductos esse contra nos. At meritò contra ipsum adduci possunt. Nam Gregorius, ut jam dixi, agnoscit, Petro totius Ecclesiæ curam & principatum commissum esse, quod M. Antonius negat. Similiter Pelagius loco citato sic habet: Relatum est ad Apostolicam sedem, Joannem Constantiopolitanum Episcopum, universalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocari generalem, cum generalem Synodum convocandi authoritas, Apostolicæ sedi B. Petri singulari privilegio*

vilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica autoritate non fuerit fulta. Et infra; Sciat Johannes, nisi errorem suum citò correxerit, à nobis excommunicandum fore. Quibus verbis fatetur hac tria: 1. Autoritatem convocandi generali Synodum singulari privilegio traditam esse Apostolicae sedi. 2. Nullam Synodum ratam esse, quæ Apostolica autoritate non sit firmata. 3. Pontificem posse excommunicare Episcopos Orientales. Quæ omnia valent contra M. Antonium. Nec debet excipere suspectos esse Pelagium & Gregorium in hac causa. 1. Quia ipse uitiorum autoritate. 2. Quia vocat eos Pontifices sanctos, ut ipsorum testimonium plus ponderis habere videatur.

LIII. Omnipotens M. Antonius legitimè his usus est testimentiis, nec obstat, quod Petro tribuat totius Ecclesiæ curam ipsi commissam esse: Quandoquidem inde concludi vel inferri posse, Petrum fuisse Oecumenicum Episcopum in Ecclesia, negavit. Nam cura totius Ecclesiæ ipsi erat commissa, non ut Episcopo Romano, sive etiam ut Oecumenico, sed ut Apostolo: Neque principatus ipsi tribuitur; ut ex eo constituantur Monarcha; sed quia erat primus & præcipuus Apostolus. Chrysostomus primatum hunc constituit in fervore, & in eo, quod primus omnium loquitur: quod etiam ex fervore sive zelo proficisciatur: Sic enim loquitur hom. i. in acta: Quam est fervidus: Quam agnoscit creditum à Christo gregem: quam in hoc choro princeps est, & ubique omnium primus incipit loqui. Aliás ibidem testatur, quod nihil ut Monarcha vel Princeps populi ex imperio, sed omnia ex communi collegarum sententia facit: sic enim ait: Jam & illud considera, quod Petrus agat omnia ex communi discipulorum sententia, nihil autoritas sua, nihil cum imperio. Quid? quod Gregorius Epist 36. fateatur, universitatis nomen per sanctam Chalcedonensem Synodum, sedi Romanae oblatum fuisse. Nihil hic audimus, quod Christi autoritate primatus Petro & Successoribus collatus sit.

LIV. Ad Pelagiū autoritatem primum respondeo in genere, Pontificum Romanorum & quidem illorum, qui non sunt ex vetustissimis, authenticum testimonium non concedi in propria causa. Hos enim sibi impensius favisse, qui nescit, illum oportet historias nescire. Deinde in specie Pelagiū hic II. tum scripsit, tum illud ambitiosum vigeret certamen inter Romanum & Constantinopolitanum Episcopum, atque adeo hoc ipsum, quod à Becano allegatum est, ex ea simulatione fuit profectum. Verum nos, qui veritatis sumus studiosi, illamque omni authoritati humanæ anteponimus, minimè decet, ambitionis hominum arbitrio huc illuc ferri; aut ex eorum audacia pronunciare, sed ex rerum perfectarum natura & veritate.

LV. Repetit Becanus Antonij argumentum, & ad ille datam respondionem in manuali §. 78. Ex dictis, inquit, facile solvuntur argumenta M. Antonij, quæ ex Pelagio & Gregorio adducit contra primatum Pontificis. Percurrat obiter. Primum est: *Qui se dicit universalem Episcopum, reliquis omnibus Episcopis afferit nomen, honorem, & dignitatem Episcopalem.* At Pontifex hoc facit. Ergo, &c. Respondeo. Major vera est eo sensu, quo Johannes vocabat se universalem Episcopum. Minor falsa est, quia Pontifex vocat quidem se Episcopum universalis Ecclesiae, non tamen Episcopum universalem, eo sensu, quo Johannes.

LVI. Demonstratum est contra respondionem ad minorem propositionem, Pontificem Romanum omnino eosensu, quo Johannes Constantinopolitanus, se facete Episcopum universalem. Si autem omnino concedenda sit ista responsio, tum dicendum, non olim Johannem Constantinopolitanum se ita vocasse Oecumenicum Episcopum, ut ceteros omnes Episcopos negaret: Sed id hodie facere Pontificem Romanum: qui reliquos omnes, licet dicis causa vocaret Episcopos, revera tamen tantum pro ministris & vicariis suis habeat, & sic revera, nudo nomine telicto, rem ipsam & substantiam totam tollat.

LVII. Sed,

LVII. Sed, inquam, eodem plane sensu, quod Constantinopolitanus se universalem jactabat, omnibus probbris obiectis exceptis à Gregorio: Bonifacius quoque & ejus successores se universales vocarunt, & adhuc vocant Episcopos. Sic enim Blondus Decades i. lib. 9. Bonifacius, inquit, insolentiam Constantinopolitani Patriarchae, Oecumenicum se, prout Beatus Gregorij temporibus cœperat, appellantis, compescuit: Phocas etenim ipsius Pontificis suâsatione, publica & ad universum orbem Christianum dimissâ sanctione, constituit, ut Romana Ecclesia, Romanoque Pontifici omnes orbis Ecclesias obedirent. Ex quibus, ut & Platini, Sabellij & Naucleri verbis, quæ etiam modo allegabimus, hoc inter duos istos Episcopos certamen fuisse, non uter solus in orbe Episcopus remanerer; sed uter esset caput omnium Ecclesiârum, sive Princeps omnium Pontificum: quocirca, eundem censeti Principem Pontificem, caput Ecclesiârum & Oecumenicum: & sic plane illud ipsum, quod sibi Constantinopolitanus arrogabat, Romano tributum fuisse: Uti etiam id disertè testatur Baronius tomo 8. Annalium anno sexcentesimo sexto, sic scribens: *Quid ergo suo edicto contulerit Romana Ecclesia Phocas? Nihil plane: nisi quod declaravit suâ sententia, indebet usurpari ab Episcopo Constantinopolitano Oecumenici nomen, quod Romana duntaxat deberetur Ecclesia. Quid clarius ac disertius dici potest?*

LVIII. Pergit Becanus §. 79 ad secundum Antonij sive argumentum, sive rationem; & ad eam respondet: Secundum Luciferianum est, vel unum Episcopum se efferre super alios Episcopos, qui sunt astrâ cæli. Resp. Lucifer voluit se efferre super astrâ tali ex mera superbâ, non autem ex Dei ordinatione. Luciferum isti imitatus Johannes Constantinopolitanus. At Pontifex Romanus, Petri successor, id non facit: Imitatur Petrum, cui totius Ecclesie curâ erat demandata; & ideo totius Ecclesie Pastorem & Episcopum merito se vocat: non ex superbâ, sed ex Christi ordinatione. Tertium Schisma aperit, & inducit, qui se vocat universalem. Respond. Johannes inducebat Schisma, quia cum Pontifex Romanus esset Episcopus universalis Ecclesiae, cui omnes tenebantur obedire.

ipse se subduxit ab obedientia, & vocavit se universalem Patriarcham: Et sic dividebat unitatem capitis in Ecclesia. Hoc non facit Pontifex. Quærerit conservare unitatem capitis; non in variis Schismata distrahere.

LIX. Sophistam agit suo more Beccanus, in eo distinguens Pontificem Romanum à Lucifero: in quo ei est similis. Ut enim Lucifer Episcopus se suarum alleclarum caput constituendo, ab Ecclesia segregabat, & maximum in Ecclesia Schisma faciebat: Sic quoque Bonifacius tertius ab Imperatore Phoca impetrando, ut totius Ecclesiarum caput & Monarcha salutaretur & haberetur, sancte impudentissimo hoc suo conatu tantum Schisma suscitavit in Ecclesia, quantum nullis seculorum & statibus coalescere potest, testantibus ipsis Pontificiis scriptoribus. Sic enim Platina in Bonifacio, qui interjecto tantum Sabiniano annis non integris duobus, Gregorio successit: Bonifacius tertius, patria Romanus, à Phoca Imperatore obtinuit (Ergo non à Christo) magna tamen contentione, ut sedes Beati Petri Apostoli, quae caput est omnium Ecclesiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus: quem quidem locum Constantinopolitana sibi vindicare conabatur, ferentibus interdum malis Principibus affirmantibusque, eo loci primam sedem esse debet, ubi Imperij caput esset. En manifestum Schisma inter Romanam & Græcam Ecclesiam. De quo adhuc clarius Sabellius Enneadis 8. lib. 6. Egit is (Bonifacius, de quo loquitur) ab initio suæ administrationis cum Phoca, ut Romana Ecclesia esset omnium aliarum caput: estque id agrè, nec sine multa contentione, Apostolicæ sedi datum. Græci id ad se decus trahentes, ibi Christianæ pietatis arcem oportere esse ajebant, ubi Imperij caput esset. Nauclerus Generatione 21. Bonifacius insolentiam Patriarchæ Constantinoplitani, οἰκεγενικὸν se appellantis, compescuit. Phocas enim Pontificis suasione publica, & ad universum orbem dimissa sanctione, constituit, ut Romanæ Ecclesiarum, Romanoq; Pontifici, omnes orbis Ecclesiarum obedirent: quod retroactis temporibus (NB.) non ad unguem servabatur, maximè à Græcis afferentibus eo loci primam sedem esse debere, ubi esset

et sit caput Imperij. Eodem ergo modo, quo Constantino-  
politanus Johannes, etiam Bonifacius Romanus ex mera su-  
perbia imitatus est Luciferum.

LX. Deinde mera petitione principij imponit. Nos  
negamus hypothesin Jesuitæ; & dudum contrarium demon-  
stravimus; *Pontificem Romanum Petri successorem neque esse ne-*  
*que potuisse.* Nam licet non negemus, Petro fuisse totius  
Ecclesiæ curam injunctam; tamen non soli, sed ut Petro, sic  
cœteris quoque Apostolis omnibus totius Ecclesiæ cura fuit  
à Christo demandata. Et nulla est consequentia: Petro est  
totius Ecclesiæ cura demandata. Ergo totius Ecclesiæ pasto-  
rem & Episcopum meritò se vocat ex Christi ordinatione..  
Nulla, inquam, est hæc consequentia: si non idem de cœteris  
quoque Apostolis omnibus velit Jesuita concedere.. Sed  
hoc negat: quomodo ergo de solo Petro consequentiam da-  
tam probabit? Hoc sequitur, quod fuerit Apostolus ordina-  
tione Christi constitutus, & in universum orbem missus:  
Quod verò sibi Papa Romanus non tribueret: tribuerunt verò  
sibi iure meritò omnes cœteri Apostoli & ipse tandem Apo-  
stolus Paulus. Atque hæc causa est, quod quidem Petrus se  
Apostolum Iesu Christi, nunquam verò Oecumenicum Ec-  
clesiæ Episcopum sive pastorem appellaret. Et si vel maximè  
istiusmodi prærogativa concedenda esset Petro, quid illa ad  
Pontificem Romanum? Quia ejus successor est? Petilio prin-  
cipij. Probavimus, quod nullo modo, neque loco, neque  
doctrina, neque moribus, neque officio, Petri successor dici  
ac defendi queat: cum quoad officium suum universale, h. e.  
Apostolatum, nullum planè successorem habere potuerit.

LXI. Negatur, quod Gregorius fuerit vel etiam sese  
appellaverit Oecumenicum sive universalem Episcopum, cui  
omnes in universo orbe Ecclesiæ obedirent; cum, ut jam mo-  
do demonstravimus; Bonifacius tertius, à Gregorio secun-  
dus, Papa, illud jus vel potius tyrannidem à Phoca Imperato-  
re primum impetraverit. Et sanè in toto illo cerramine con-  
tra Johannem Constantinopolitanum ita se gessit Gregorius,,

ut

ut revera noluerit aut saltē nolle se finxerit causam suam propriam agere; seque universalem Episcopum afferere: cum verba ejus, supra ex §. 76. allegata, sint generalia quibus omnes Episcopi, & sic quoque ipse Gregorius includuntur.

LXII. Quod addit, Pontificem querere, conservare unitatem capit, non in varia Schismata distribuere: sed cuius capit! Nequaquam. Illud enim solus Christus est. Ergo se solum & suam autoritatem, fraude & dolo contra omnia iura, divina & humana, arreptam conservare querit, & sic non quod Christi, quod vero Ecclesiae; sed quod AntiChristi, adulterini capit, & AntiChristianæ Ecclesiae est, illius unitatem & concordiam, non vero Ecclesiae querit: hanc enim perturbat, vastat, & quantum in ipso est, funditus subvertere satagit.

LXIII. Quartum (pergit Beccanus §. 81.) Solus Christus est Ecclesiae caput universale, & omnes Episcopi sunt Christi membra. Respondeo. Solus Christus est caput Ecclesiae, quoad internum fluxum gratie. At non solus est caput, quoad externam gubernationem. In priori officio capit, non admittit vicarium; in posteriori admittit. Hoc supra explicatum est.

LXIV. Negavimus supra & adhuc negamus, Christum tantum esse unicum caput, quoad internum fluxum gratie; & non etiam quoad externam gubernationem. Quandoquidem neque externo modo juxta hominis alicujus beneplacitum debet gubernatio Ecclesiae institui: sed simpliciter juxta prescriptum verbum; vel specialiter, & expressè illius partes explicans, vel generaliter & implicitè illas indicans & continens: ut enim unum habet caput priori modo & respectu: sic nequaquam biceps Ecclesia postiore respectu censenda est. Neque etiam propriè loquendo vicarium vel unicum vel plures habet Christus: Nam vicarius illam habet potestatem à principali suo concessam, ut pro re data ipse possit suo nutu & voluntate regere

regere Regis sui subditos: quod de ministris Ecclesiæ sim-  
pliciter negatur: Deinde si omnino essent Vicarij conce-  
dendi: non fuit solus Petrus, sed omnes Apostoli, & o-  
mnes in ministerio Ecclesiastico ipsorum successores: ut  
unum caput fingere, vel nostro arbitrio constituere ne-  
que sit necessarium, neque hominibus concessum, sed po-  
tius à Deo prohibitum.

LXV. *Quintum* (addit *Becanus* §. 82.) *Neque Petrus,*  
*neque ullus Apostolus, aut sanctus Episcopus, vocavit se unquam*  
*universalem. Respondeo. Si de nomine agitur, verum est; si de*  
*re ipsa falsum. Nam Petrus reipsa exercuit officium Pastoris, re-*  
*spectu totius Ecclesiæ; quod etiam fecerunt successores Petri: Et*  
*tamen si non vocaverint se universales; vocati sunt tamen Episco-*  
*pi seu Pastores universalis Ecclesiæ.*

LXVI. Ergo jam concedit secundum rem *Becanus*,  
quod hactenus de Pontifice Romano constanter negavit,  
nempe ipsum esse universalem Episcopum in Ecclesia.  
Sanè, non tam de nomine & titulo hīc quæstio volvitur,  
quād de re ipsa: Ut igitur rem non habuit Petrus, quod  
esset universalis Episcopus Ecclesiæ, sic nunquam sibi hunc  
honorem vel etiam potestatem sumvit vel tribuit. Quod  
autem non habuit, id per successionem in alios derivare,  
non potuit: Ergo hunc titulum una cum re tyrannice ra-  
puerunt & hactenus usurparunt in Ecclesia Pontifices,  
magno cum ipsius malo. Primum quidem Patres Or-  
thodoxi Petro tribuerunt, sed toto genere diversum  
ab eo, quem Pontificij suo Idolo, Pontifici Romano, ad-  
scribunt. Sic enim Ambrosius: *Petrus, inquit, ubi au-*  
*davit: vos autem quid me dicitis: statim loci non immemor,*  
*sui primatum egit: Primum Confessionis, utique*  
*non honoris; primum fidei, non ordinis. Ubi ordinem*  
*intelligit superioritatem sive gradum, non quo quis modo*  
*Pontificis Romani, adeò sublimior existit. Er rursus Am-*

E

*brosius:*

tirosius: Paulus Petrum solum nominat, & sibi comparat; quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam: se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium Ecclesiis. Sanè verba illa cum isto primatu, quem Pontificij Petro adscribunt, nullo modo stare possunt. Si enim Paulus primatum habet in fundandis gentium Ecclesiis: Petrus nequaquam esse potest universalis Episcopus.

LXVII. Sextum & ultimum argumentum proponit Beccanus §. 83. & ultimo: *Sextum: Proprium est precursoris AntiChristi, superbiendo se ceteris anteponere.* Respondeo. Verum est. Pontifex hoc non facit. Non enim ex superbia, sed ex divina institutione, ceteris se anteponit: *Sicut in Veteri Testamento faciebat Moyses, & reliqui summi Pontifices.* Sicut etiam in regno Angliae facit Rex, & in Imperio Imperator. Ut ergo enim legitimo jure Electionis præfert se alijs. In quo dissimiles sunt Joanni Constantinopolitano, qui ex superbia, non ex DEI ordinatione, se ceteris anteponebat.

LXVIII. Pontificem Romanum ex divina institutione ceteris se anteponere: pessima petitio principij est. Nos contrarium hactenus irrefutabilibus rationibus demonstravimus. Neque etiam cum Mose & ceteris Pontificibus summis Veteris Testamenti conferri potest hic Pontifex. Nam Moses non fuit summus Pontifex, sed Dux populi & Propheta Domini. Ibi successorem habuit non Aaronom, sed Josuam. Hic ipsi non fuit successor; Propheticum enim munus erat extraordinarium. Sic summi Pontifices tales fuisse ex ordinatione divina, disertis verbis docet scriptura: Episcopum vero Romanum, ejusmodi summum Pontificem esse in Nono Testamento itidem ordinatione divina, de eo altum est silentium in scriptura; imo contrarium potius inde manifestum. Cum unicum tantum summum Pontificem

ufficem habeamus in Novo Testamento, nempe Christum: cuius unius typi fuerunt Pontifices Veteris Testamenti, ut ita respectum quidem habuerint ad Christum, nequaquam vero ad Pontifices illos Romanos, humano arbitrio & audacia ordinatos & institutos. Sic nihil commercij habet Rex Angliae, nihil quoque Imperator in Imperio, cum hoc praefule. Illi enim versantur in officio divinitus instituto: Hic vero sibi officium in Ecclesia excogitavit & sumxit, contra verbum Dei ex mera arrogantia & superbia. Ut hactenus probavimus, & in disputationibus de Anti-Christo pluribus demonstraturi sumus.

**SOLI DEO GLORIA.**



176  
naturam pugnare ut in Nomo T. tenuem, nomena Cuius-  
tunc: curia-nominae (alii) tractantur. Sicut etiam T. tenui-  
us, ut illa se libetim dicitur. Pragmatisa est Cuius-  
tunc, sacerdotum vero ad Pontificem illius Romane-  
m, sacerdotum ex sagacis ordinatis & iniunctis, sic  
commissarii specie Rex Argentarius Iudeo-  
-Iudeo, cum post-pissimis. Illi enim veri-  
tae in officio huiusmodi iustitios; His vero ubi officium  
ad eorum auctoritatem & iurum, nonne arbitrum Dei ex  
-scriptis? Ita ergo & sicut in aliis regis  
-tempore.

201 DIO EROI





